

96

CULTUS SACRARUM IMAGINUM
OMNI ÆVO ET JURE TRIUMPHANS.
ASSERTIO CATHOLICA.

QUAM

UNA CUM SELECTIS COROLLARIIS

DE INCARNATIONE, VIRTUTIBUS THEOLOGICIS ET RELIGIONE

P R A E S I D E

F. GAMALIELE HARTMANN

Ord. FF. Min. Recollect. Ss. Theologiæ Lectore ordinario.

PROPUGNABUNT

F. LEODEGARIUS PALM. F. DOROTHEUS HENNES.

F. AEGIDIUS REIFFERSCHEIDT.

RELIGIOSI EJUSDEM ORDINIS FRATRES

HEIDELBERGAE IN ECCLES. RECOLLECT. DIE AUGUSTI ANNO 1776.
mane ab octava.

Imagines Christi, Deiparae V. & aliorum Sanctorum (verba sunt Ss. Synod. Trid. ss. 25.) in Templis praesertim habendas & retinendas, eisque debitum honorem & venerationem impertiendam, non quod credatur in esse aliqua in iis Divinitas vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in Imaginibus sit figura, vélut olim fiebat a gentibus . . . sed, quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad Prototypa, quæ illæ representant, ut per imagines, quas osculamur & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur, id quod Conciliorum praesertim vero II Nicenæ Synodi decretis contra Imaginum impugnatores est Sancitum . . . Quod, si aliquando Historias & Narrationes S. Scripturæ, cum id indoctæ plebi expediet, exprimi vel figurari contigerit, doceatur Populus, non propterea Divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspicere vel coloribus aut figuris exprimi possit. . . Ecce veritatis catholicæ de cultu Ss. Imaginum a S. Synodo non modo assertæ, sed & suis momentis suffulta, breve Epitomen, in quo nihil absconum, nihil repugnans, nihil, quod cum primorum Ecclesiæ Patrum Fide discordet!

Quid ad hæc Iconoclastæ? in Luce cœcutiunt, atque licet sæpe doctissimis Ecclesiæ catholicæ scriptorum polemicorum Lucubrationibus ita ad incitas fuerint redacti, ut nec hiscere aut mussitare possent, nihilominus sic errori obfirmato animo adhærent, ut tot ac tanto Argumentorum pondere non succumbant, tantis malleis non conquassentur, sed potius de novo vitra fracta, rejectas quisquilijs

in

in Schenam inducere, easque crambis instar recostæ ad nauseam usque obtrudere non erubescant. Clamat S. S. Imaginum Cultum merum esse Nicænorum P. P. inventum: Vociferantur, Cultum hunc Legi divinæ e diametro esse adversum. Quam vero absque fundamento sic calumnientur, quamque antiquo Jure Cultus Ss. Imaginum triumphet, secundum præscriptas pageilarum angustias gemino Capite, adversæ partis fundamenta discutiendo, pertractabimus.

C A P U T I.

AN CULTUS SS. IMAGINUM SIT NICÆNORUM P.P. INVENTUM?

Dallæus (quem hic præ reliquis adversarium spectamus) preesse Magistri sui Calvini inhærens vestigiis, l. l. de imag. id sine rubore affirmat, atque evincere conatur. 1^{mo} Ex Ethnicorum silentio, qui nunquam Christianorum in hoc argumento criminationes, ad tollendam aut minuendam suæ in Idola superstitionis invidiam, ex ipsorum usu ac praxi dissolverunt... 2^{do} Ex silentio judæorum, hostium Imaginum in Religionis negotio infensissimorum. 3^{tio} Quia in veterum Ecclesiarum instrumentis & sacra supellectili nullæ Imagines occurrant, teste Euseb. l. 10. Hist. & Athanas. l. 3. de vita Constantini. 4^{to} Ex can. Eliberitani Concilii 36., qui ita habet: placuit Picturas in Ecclesiis esse non debere, ne, quod colitur aut adoratur in parietibus depingatur. Igitur, infert, primis illis nascentis Ecclesiæ sæculis Imaginum cultus nondum fuerat in Christianam aut Disciplinam aut Fidem receptus. En Arietem, quo Doctrinam catholicam de Cultus S.S. Imaginum Antiquitate subvertere nititur insignis Dallæus.

At dolemus tantum Virum in eo vane desudasse, quod ei ultronee concedimus; fatemur etenim in primis Christianæ Religionis incunabulis, dum adhuc in Ecclesiam grassaretur gentilis furor & in hominum mentibus hæreret Idolorum superstitione, haud frequentem in Ecclesiis fuisse usum Ss. Imaginum, in quibusdam nullum. Unde etiam nata est illa gentilium Christianis facta exprobratio, quæ apud Minut. Felicem his exprimitur verbis: cur nullas Aras habent (Christiani) Templa nulla, nulla nota Simulacra? quid miri igitur, si nec Ethnici, nec judæi illum Christianis objecerint? Imo, cum nec in IV Sæculo statim in Ecclesiis omnibus usus fuerit Ss. Imaginum, quid hæremus, si nec a præcitatis inter Ecclesiæ Instrumenta Icones fuerint relatæ? Porro Imaginum Dei, Ss. Trinitatis, Statuarumque vix illum in Ecclesia usum fuisse, etiam Synodi VII Temporibus, omissis aliis cum Tostato, Henrico, Durando nefas existimantibus, Dei Imagines effingere, abunde colligitur ex Gregorii II Epist. 1. ad Leonem Isaurum: Patrem, ait, Domini N. I. C. non oculis subjicimus ac pingimus, quoniam, quis sit, non novimus. At de isto Imaginum genere cum Dallæo haud contendimus, licet nec inficiari possit, Dei,

Dei, Ss. Trinitatis Imagines ac Statuas in prioribus Ecclesiæ Sæculis in quibusdam extitisse Ecclesiis, quin istæ in crimen vocarentur; quis enim ignorat studium S. Felicis Martyris, qui Sæc. IV ædes sacras nolæ curavit iisdem adornari figuris, quibus in Scripturis Pater æternus & Spiritus S. delineantur, summe desuper a S. Paulino in Epist. ad Severum laudatus. In aliis Ecclesiis Baptisteria ornabantur Imaginibus Patris, Christi & Spiritus S. statuis videlicet ex auro, aliove Metallo confectis, uti testatum facit Libellus, quem Clerici & Monachi Antiocheni obtulerunt Joanni Patriarch. C P. contra Severum Patriarcham.

Et nunquid Dallæo ignotum est Mulieris Hemoroissæ a Christo sanatæ pium facinus, æream statuam in ejus Honorem erigentis, ut refert Euseb. l. 7. C. 18? de facti Authentia cum librorum Carolinorum Authore dubitat. Sed nunquid hic Author 400 Annis Eusebio junior, qui propriis Oculis desuper convictus id memorizæ prodidit, audiendus? Subridens, ait: *cum Mulier omnem in Medicos erogaverit substantiam, Luc. 8., quo igitur medio æneam statuam erigere poterat?* Ridendum sane, quod hyperbolicam Evangelistæ locutionem haud advertat Dallæus, qua Mulier multam, non omnem, munerandis Medicis pecuniam impenderat. Et quid, si ab aliquo Paneadensi cive locuplete ad Christi Fidem converso ad celebris Miraculi memoriam statua sit erecta? *At vix credi potest, quod illa statua 300 Annis ferventibus persecutionibus inviolata manserit?* Credat, quod Christianorum persecutores hanc statuam non sustulerint, quam Christi esse non noverant. Et si Deus servare voluit tam illustre Monumentum, nunquid efficere potuit, ne Tyranni de eo evertendo cogitarent? Sed scriptores Eusebio antiquiores silent de hoc facto in apologeticis pro Christiana Religione factis? Sileant, quid igitur? vel illud non viderant, quod ipse propriis conspexit oculis Eusebius, vel illud non magni momenti contra Paganos esse judicarunt; quam enim rationem habuissent aut statuæ Christo erectæ, qui nomen ejus odio intensissimo prosequabantur, aut Miraculi, ad cuius memoriam statua erecta erat, vel illius, quod siebat per plantam effigiatae Diploidis fimbriam contingentem, qui Miraculis a Christo, Sanctisque editis non credebant. Ut ut sit, pergit, ex tota hac Historia aliud nihil extundi potest, nisi unum fuisse Christi simulacrum ex propria Mulierculæ e Paganismi luto emergentis voluntate effectum: non in Ecclesia, sed vico publico positum: non animo, ut vel adoraretur vel coleretur: non ex Christiano, sed Ethnico, cui illa diu assueverat, usu, teste Euseb. cit. At, reponimus, licet a Muliere ex Paganismo conversa hæc statua erecta sit, Mulieris tamen in ea erigenda Pietatem, qui improbaverit, nemo ex priscis Patribus proferri potest. In vico est posita, sed quid interest? Cum non magis in Vico, quam in Ecclesia erigi potuisset, si Idolis adnumerandæ essent Christi & Ss.

Statuæ, & si Religioni non derogat, quod erigantur in plateis, fas etiam est, ut in Templis collocentur. Non animo, ut coleretur, est posita, permittimus; nihilominus Ss. statuarum usum hoc probari Monumento, meridianum est. Neque, quod Eusebius addit de gentilium consuetudine, vim argumenti elevat; quia morem illum gentilium, statuas in honorem eorum, a quibus beneficium aliquod impetrassent, erigentium, non condemnat, non illicitum esse decernit, adeoque ad usum Christianæ Religionis transferri potuisse, haud obscure innuit.

Tandem in primis Ecclesiæ Sæculis Imaginum Christi & Ss. usum in quibusdam viguisse Ecclesiis, vel invitus concedet Dallæus; etenim S. Clemens Alexandrin. Sæc. II. libros pro illorum usu conscripsit, quos se legisse testatur Photius Patriarch. CP. cod. 110. Biblioth. Tertull. l. de pudicit. initio Sæcul. III: in calicibus depictum fuisse Christum sub figura boni pastoris, afferit. Euseb. cit. memorat, se vidisse Ss. Apost. Petri & Pauli Imagines in tabulis depictas, VII Synod. act. 4. Imaginis Christi a Nicodemo depictæ, Gamalieli & dein Jacobo Apost. relictæ, demum Berytum translatae meminit. Et nunquid, dum Concil. Eliberit. Imagines in Ecclesiis esse vetat, eas ante in Templis pingi fuisse solitas, aperte prodit?

Verum his etiam dissimulatis, qua fronte tamen Dallæus ex fundamentis allatis inferat, Cultum Ss. Imaginum in Christianam Fidem primis Ecclesiæ sæculis non fuisse receptam, non videmus; etenim aliud esse Dogma, aliud Dogmatis usum, patulum est. Dogma ipsum, Imaginum scilicet usum, Lege Dei vetitum non esse Christianis, venerationem ipsarum a Religione permitti & approbari, nec habere aliquid cum Idololatria commune, everti, confringi aut de honestari non posse eas sine impietate, ubi earum usus est ab Ecclesia receptus, nec, qui Christum aut Sanctos coram iis, in iis colunt, posse absque calumnia, Anathemate digna, Idololatras vocari, hoc, inquam, Dogma, immutabile esse, antiquum esse, utpote ab Apostolis ad nos continua traditione derivatum, fidenter asserimus. Usum autem SS. Imaginum, adeoque & earum venerationem actualem, non esse Dei Lege præceptam atque ad Disciplinam duntaxat pertinere, quæ subinde variari potest, atque invariata Fide variatam fuisse, ut ex can. Con. Elib. elucet, Ecclesiamque subsistere posse, et si nullas, quas actu veneraretur, haberet Imagines, omnes unanimiter concedimus. Sane, cum Ecclesia Christiana ex Ethnicis & Judæis colligenda erat juxta illud D. Pauli Oraculum Ephes. 2. v. 14. 15. 16, prisci Patres & præcipue Apostoli hinc Judæos a Religione Christiana maxime deterruissent, si contra Legem ipsis præscriptam Imagines colendas proposuissent; si enim tanto cum labore Neophyti a præceptis cæremonialibus avellebant, quanto majori ipsis Contra V. L. præscriptum ad Cultum Imaginum deduxissent? sicut igitur

tur ad tempus indulserunt Judæis servare nonnulla V. L. Mandata, quale est abstinentia a suffocatis & Sanguine, ita de Imaginibus pingendis aut colendis propterea filuere. Inde Gentiles a Cultu Idolorum ubique recepto erant revocandi evidens autem periculum erat, ne homines adorare soliti simulacra, simili latræ colerent Imagines Ss. Eo animo affectos fuisse Gnosticos notat S. Irenæus L. 1. C. 24. referens inter eorum errores, quod Imagines Christi & Pauli colerent, & S. Epiphanius. hæres. 79. ideo hæreticos compellat, qui Imaginem Ss. Virginis circumferunt & Colunt. Ex his planata jam Via est ad textus Patrum, quos Dallæus ad instar silvæ, ad quandam Commento suo veri apparentiam conciliandam, congesit, interpretandos. Falsissimum igitur est Dallæi inventum, quo calumiatur, Cultum Ss. Imaginum esse merum PP. Nicænorum inventum, cum hic Veneranda sua Antiquitatis Canitie omnium oculis vel sponte se ingerat.

C A P U T II.

AN CULTUS SS. IMAGINUM LEGI DIVINÆ ADVERSETUR?

Denuo laudatus Dallæus in Schenam prodiens, illud calamo decisivo afferit. At quomodo suum consolidat assertum? Scriptura, perorat, Cultum hunc ceu idololatricum aperte damnat, nec ullibi de Religioso cultu & servitio, Geniculationibus, Osculis, quem hodie Romani definitum volunt, vel quid obscure commemorat. At ferme tot commenta sunt, quot verba.

Scripturas interpellat, scrutemur eas. Exod. 20. præcipitur: *non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper & quæ in Terra deorsum*; idem repetitur: Deut. 4. Levit. 26. at contextus sic habet: *non adorabis ea, neque coles, ego enim sum Dominus Deus tuus*. Idololatriam igitur prohiberi, seu cultum Imaginum, quæ vel pro Diis habentur, aut in quibus ceu Dii coluntur, qui Dii non sunt, aut in quibus Numinis aut Divinæ Virtutis aliquid latere creditur, in aprico est. Aptius igitur Dallæus Scripturas iis opposuisset, qui conflatili dicunt: *Dii estis. Is. 24. qui Deos opera manuum suarum appellant*. Sap. 13. Non nobis, qui ab his erroribus immunes profitemur, nullam Imaginibus inesse virtutem, nihil ab iis esse sperandum &c., sed a Deo, a Christo, a Sanctis, quos repræsentant. Et dato, ut quidam contendunt, per præceptum exodi duo prohibiri, & sculptile, & sculptilis cultum, quæro ergo, vel illa prohibitio fuit juris naturalis & indispensabilis? Igitur Moyses super Arcam figuræ cherubim reponens & Salomon cælaturas alatorum Angelorum sculpendas curans contra jus naturæ impegere? vel fuit cæremonialis solos respiciens Judæos ad Idololatriam pronis, qua forte de causa Ars statuaria & Pictoria erant Decreto Synagogæ ipsis interdictæ *uxtra Orig. l. 4. C. Celsum, & Joseph. l. 17. Antiquit. c. 8.*? Sicque patet,

mu-

mutabilem fuisse, nec nos obligare. En, qualiter Scriptura pro Dallaeo peroret!

Deveniamus ad Crises. Cultum Religiosum, Geniculationes, Ofcula saltem in Imaginibus Ss. pictis abhorret Dallaeus, nullibi in Scripturis, sed a Romanis definitum afferens. At ubi in Professione Fidei, ubi in Synodo Religiosi Cultus mentio reperitur? ubi definitur? Venerationis nomen Honorem significat, qui sit habendus Imagini, quem non exigit majorem Romanæ Ecclesiæ Fides, quam, qui rebus sacris, Calicibus v. g. aut codici Evangeliorum debeatur, quæ veneramur propter Christum & Deum, ad quem referuntur, Calices scilicet, quia sunt Sanguinis Christi portiones, ut loquitur Optat Milevit. Codicem Evangeliorum, quia Veritatem æternam significat Et verba Vitæ æternæ continent: Sic Christi Imaginem veneramur, ut rem sacram, quia Christum repræsentat, Imagines Sanctorum honoramus, quia Sanctos referunt: sicut igitur nec Dallaeus Cultum Idololatricum dixerit, quo suum erga Veritatem æternam affectum, codicem Evangelii osculando aut salutando etiam de geniculis testificatus fuerit, quia non his Apicibus humana manu exaratis, sed coram illis æternæ Veritati defert Cultum, ita ex simili ratione fatuum esse oportet, qui Cultum Catholicorum Idololatricum dixerit, quo Imagines salutant, osculantur &c. Porro Venerationem, quam Imagini ut rei sacræ adhibendam fatetur Dallaeus, Cultum Religiosum quidni vocemus, cum res sacras non Honore civili, sed superiori quodam Honoris gradu, quem Religio approbat, veneremur?

Demum ipsum Calvinistæ Eucharistiam, quamvis eam figuram duntaxat & Imaginem Corporis Christi credant, de geniculis adorari permittunt, sumpto Adorationis nomine pro Veneratione Sacramentis debita, cur ergo illicitum, cur superstitionis Ingeniculationis Ritum coram Imaginibus Dallaeus calumniatur? En! Dalleum propriis ipsis verbis jugulamus. Si Ecclesia Romana (ait Apologie C. 12.) hoc tantum a nobis exigeret, ut simpliciter S. Eucharistiam genibus flexis reciperemus, fateor, ex hoc capite nos non habituros justam causam nos separandi ab ipsa. Et postea de Fide Ecclesiæ Anglicanæ: Genuflexio, quam in sua utuntur Communione (quam panem quo ad substantiam credunt & docent) aliter accipi nequit, qua in sua Adoratione Iesu Christi in Cælo existentis Et non panis, qui est in Terra. Ibidem de Pastorum suorum Consecratione.. nunquid eam non recipiunt flexis genibus, quin sibi quis persuadeat, illos ab iis adorari, per quos ad officium evehuntur. Eadem addit de recipientibus Baptismum. Hæc genuina sunt Synodicis illorum Decretis, sic enim synodus illorum Petricoviensis Concl. IV: Libertati Christianæ permittimus, ut stantes vel genua flectentes pii Sacramentum Corporis Et Sanguinis Christi sumant. Huic Decreto Synodus ipsorum Wodislaviensis concordat, Concl. VI. teste. cl. Natal. Alex. in Hist. Eccles. Sæcul. VIII.

tom.

tom. VI. Dissert. VI. de Imag. Hunc, quæro, quem Sacramentis deferunt Honorem, dicet ne *Dallæus* civilem? imo, quia ex Fide & Religione proficiscitur, velit, nolit, Religiosum esse fateatur, necesse est. Cum igitur non aliam Imaginibus venerationem exhibeamus, non est, cur in Romanam Ecclesiam ceu Idololatriæ ream ob cultum Imaginum Religiosum declamet.

Confugientem ad alia Præsidia sequamur *Dallæum*. *Carolus M. oggerit*, universi pene Galliæ Episcopi, tum in *Concil. Francofordensi*, tum *Parisiensi Conventu sub Ludovico Pio congregati*, Synodi Nicænæ de Imaginibus Decretum aperte repudiarunt, damnantes omnem Latriam, omnem Cultum absolutum, imo & simpliciter omnem relativum ut vel ipsum *Sereni Massiliensis Episcopi* factum, a *Gregorio M. laudato*, abunde testatur: signum igitur est, Patres judicasse, Cultum Imaginum etiam relativum Legi divinæ adversari.

Mirum sane, quod *Dallæus* in Conciliis nec Generalibus, nec unquam, quantum ad hoc punctum, ab Ecclesia Universali approbatis, contra Synod. VII. Præsidia quærat, cui ab Universo Orbe Catholico subscriptum fuit longo tempore, antequam ipse Cultum Ss. Imaginum impi dente arrodebat. At missis his, damus *Dallæo*, Patres Francoford. Synod. VII, quam nec pro universali, neque sedis apostolicæ Authoritate communitatam judicabant, utut forte Legatis Apostolicis reclamantibus, attamen ob opinionem, ex Libris Carolinis maligna manu conscriptis, & potissimum ex *Constantini Professione* inepte versa, præconceptam, revera damnasse. At hic error facti erat, non juris, cum Imagines Ss. tam in, quam extra Ecclesiam permittant, propter amorem Dei & Ss. ejus, ut patet ex C. ult. apud Goldastum tom. I. ad Hadrian. I. misso, frangere vero aut destruere eas inhibeant. Solo igitur *Adorationis* vocabulo, quod in Professione Constantini & Actis Nicænis sæpe occurrebat, atque latriæ ideam ipsorum animis ingerente, turbati Patres, ea omnia Patribus Nicænis objecerunt, quæ ex Cultu Latriæ sequuntur, veluti Sanctimoniam ab Imaginibus exspectare &c., prohibentes insuper omnem Latriæ Cultum Imaginibus deferendum, Cultum omnem absolutum, imo & relativum, æqualem illi, qui aut Divinæ Scripturæ aut dominicæ Crucis solet exhiberi, ob periculum offendionis Rudium & Indoctorum, ut inquit Author l.l. *Carol. l. 3. c. 16*. Unde etiam *Serenus Episcop.* Imagines e Templis eliminavit, non quasi earum Cultum Fidei principiis adversum putaret, sed quia populum sibi creditum Cultu, ac decet, majori easdem prosequi adverterat, ob hunc Zelum, non ob factum, quo Imagines confregerat, a *Greg. M. laudatus*. Mire proin hallucinatur *Dallæus*, dum asserit, omnem simpliciter Cultum relativum a P.P. prælaud. fuisse proscriptum, quem Nicæni ac Romani Imaginibus tribuendum censem; quid enim quæso est aliud: *moderatus Imaginum Honor ob amorem Domini & Ss. ejus, quorum similitudines sunt, nisi*

Cul-


Cultus relativus seu Honoraria Adoratio, ut vocat VII. Synod. hunc autem Honorem Ss. Imaginibus deferendum aut a Conciliis vel PP. fuisse inhibitum, aut Legi Divinæ adversari, nunquam evincet Dala-
læus. Illum de cætero vocet, quomodounque libuerit, de verbis non litigamus. Manet igitur Veritas Catholica de Ss. Imaginum Cul-
tu inconcussa, inani adversantium pondere nec oppressa hactenus,
nec unquam opprimenda, sed sicut omni ævo ita omni jure
triumphans.

COROLLARIA SELECTA.

§. I. De Incarnationis Mysterio. 1. Hoc non implicat. 2. Ejus existentia solide Contra Judeos evincitur ex Gen. 49. 3. Motivum ejus adæquatum non fuit Sola Redemptio generis humani. 4. Causa illius meritoria quo ad Substantiam nulla fuit. 5. Sola Persona Verbi assumpsit naturam humanam, id est, veram animam rationalem & verum corpus passibile. 6. Idque ex Maria Virgine, jure Deipara. 7. Verbum immediate terminat Naturam humanam ratione Personalitatis. 8. Una est in Christo Persona. 9. Due Naturæ distinctæ & inconfusæ. 10. Due insuper voluntates & Operationes. 11. Licet Honorium I in Synod VI damnatum fuisse asseramus Contra Baron. eum tamen ceu Hæreticum Monothelitam male traducunt Centuriat. Magdeb. 12. Demum vera communicatio idiomatum in sensu Catholico, non Ubiquistarum. 13. Satisfactio Christi sufficiens fuit, digna, imo superabundans. 14. Non tamen ob infinitatem Personæ, simpliciter infinita. 15. Humanitas Christi sancta est formaliter Sanctitate substanciali Verbi, & accidentaliter per gratiam. 16. Voluntas humana Christi circa actus præceptos libera fuit remote & intrinsece.

§. II. De virtutibus Theologicis & Religione. 1. Objectum materiale Fidei est omne & solum revelatum. 2. Etiam implicite aut virtualiter. 3. Formale & adæquatum est Veritas summa Dei in Cognoscendo & Dicendo. 4. In quam etiam Fides ultimato resolvitur. 5. Actus Fidei est infallibilis & certus certitudine appreciative summa. 6. Ad hunc sufficit & requiritur Revelationis moralis evidētia. 7. Post sufficientem Evangelii promulgationem probabilius necessitate medii necessaria est Fides explicita Ss. Trinitatis & Incarnationis. 8. Magnum Charitatis Mandatum impletur, si Deus diligatur super omnia appreciative. 9. Humanitas Christi unita Verbo eadem & unica cum Verbo adoratione absoluta latræ adoranda est. 10. Licitum & utile est invocare Sanctos. 11. Vera Crux Christi & veræ ejus particulae pio ac religioso Cultu venerabilia sunt. 12. Idem Cultus debetur Imagini & Exemplari, at modo diverso, id est absolutus Exemplari, relativus Imagini. De Votis, Juramentis, Simonia, quæsiti.

O. S. C. S. M. E.



© The Tiffen Company, 2007

